



**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

333. A quibus concedi possint Coadiutores temporales Abbatibus
similibusque Prælatibus Regularibus, vel etiam non Regularibus exemptis
tamen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quaest. 331. Coadjutores temporales quis possit concedere Episcopis & illis majoribus?

Respond. solus Papa. Barbof. *loc. cit. n. 21.* citans Gambar. *ubi ante. n. 4.* Campanil. *in d. v. r. s. juris Rubr. rub. 7. c. 6. n. 105. &c.* Gonz. *loc. cit. n. 34.* citans Jacobat. *de Conciliis. l. 4. a. 3. n. 16.* Abbat. *in c. fin. de Cler. agror. n. 5.* Butrium. *n. 14. &c.* Remouch. *loc. cit. n. 2.* Castrop. *loc. cit. n. 5.* Azor. *ubi ante.* ubi etiam, quod ex potestate pontificia Episcopus senio, valetudine gravatus aut aliter impeditus perpetuo possit de sui Capituli vel majoris partis illius consilio & assensu unum vel duos Coadjutores auctoritate apostolica assumere. Si vero Episcopus fuerit demens, Capitulum aut duae ejus partes eadem auctoritate apostolica id possint. Et si Episcopus senio, morbo, aut aliis impeditus nolit sibi assumere Coadjutorem, res sit deferenda ad Pontificem. Unde jam hodie dum Episcopo suffraganeo aegrotanti Coadjutorem temporalem dare nequit Archiepiscopus seu Metropolitanus, juxta *c. unicum. de Cler. agror. in 6.* ubi expressum, dationem Coadjutorum Episcopis & superioribus Praelatis esse de causis majoribus, & ad solum Papam pertinere. Neque huic decretali contraria est illa *ex parte. de Clerico aegrot.* quia ibi Archiepiscopus ille non dedit Coadjutorem Episcopo provinciali auctoritate ordinaria, sed ut Sedes Apostolica delegatus, ut patet *ex c. mandamus. Fagn. in c. ex parte. n. 1.* citans Cardinalem in *idem c. n. 4.* Abb. *n. 3. &c.*

Quaestio 332. Coadjutorias temporales quis concedere possit Praelatis, aliis Episcopo inferioribus, aliisque beneficiatis?

Respond. id posse Episcopos & Legatos Apostolicos. Fagn. *in c. nulla. de concess. preb. n. 67.* ubi: *Licet Coadjutoria temporalis in inferioribus Praelatis dari possit ab Ordinario, ad quem spectat destitutio vel cessio admisso. pro quo citat. c. de Rectoribus. &c. fin. de Cler. agror. & ibidem Jo. And. Abbat. Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 10. n. 22.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. n. 5.* ubi expressè, quod Rectori senio confecto Episcopus dare possit Coadjutorem, pro quo citat Tusch. *lit. c. concl. 402. n. 7. &c.* Remouch. *c. 5. n. 2. & 5.* ubi expressè id ait de Archidiacono & beneficiatis curam aliquam habentibus, & addit: *habita semper ratione subjectionis, quâ nimirum coadjuvandus subjicitur Episcopo seu Ordinario.* Gonz. *loc. cit. n. 36.* citans Jo. And. *in c. fin. de Cler. agror. n. 7.* Butr. *in c. 3. n. 10.* Abb. *n. 5.* Gamb. *ubi ante n. 3.* subdens rationem ex Gonz. quam approbat Barbof. *loc. cit.* quod sicut Episcopi, Legati, Nuncii hos inferiores instituere & destituere ex causis, ita majore ratione possint iisdem dare ex causis Coadjutores temporales.

2. Limitanda tamen responsio primò, ut non procedat in Dignitatibus majoribus electivis, puta Praepositis, Decanatibus & similibus; respectu enim horum Legatum Apostolicum (multoque magis Episcopum) non posse constituere Coadjutores, etiam temporales, & Papam non solere sine consensu Capitulum, obstantibus in Germania Concordatis, tradit Remouch. *cit. c. 5. n. 4. & 6.* Limitanda secundò, ut non procedat in beneficiis juris patronatus Laici, ita ut neque respectu illorum Legatus aut Episcopus possit, nec Papa soleat concedere Coadjutorias temporales sine consensu Patronorum. Remouch. *loc. cit.* citans Lambert. *de jure pat. l. 2. p. 1. q. 6. a. 2. n. 1.*

Quaest. 333. A quibus concedi possint Coadjutores temporales Abbatibus similibusque Praelatis Regularibus, vel etiam non Regularibus, exemptis tamen.

Respond. ad primum: Tamen si de jure communi Episcopus, uti Monasteriis vacantibus oeconomicum, ita etiam Abbatibus constituere poterat Coadjutorem; modò tamen, dum Sedes Apostolica privilegio Religionis ferè omnes ab Episcoporum & aliorum Ordinariorum jurisdictione exemptae sunt, si contingeret de aliqua causa justa oportere dari Abbati alicui Coadjutorem, datio talis Coadjutoris spectaret ad Abbatem generalem, sive ad diffinitorium, in qua re, quemadmodum per privilegium summorum Pontificum hæc provisio Coadjutoris, sicut & tota alia Religionis administratio, data est Religionis Praelatis; ita etiam eorum Praelatorum in hoc negotio decreta observanda sunt, & uniuscujusque Congregationis constitutiones à Sede Apostolica approbatae inspiciendae. Ita ferè Tambur. *de Jure Abb. rom. 1. d. 13. quaestio 1. & 2.*

2. Respond. ad secundum: Abbatibus aliisque Praelatis, etiam non Regularibus, exemptis non nisi à Papa dari potest Coadjutor temporalis. Remouch. *c. 5. n. 2.* Tambur. *loc. cit. n. 3.* citans Gambar. *ubi supra. n. 5.* Barbof. *de off. Episc. allegat. 50. n. 8.* Quarant. *in sum. Bullar. v. Archiepiscopi auctoritas. n. 9.* & alios.

Quaest. 334. An igitur Praelati aliisque ecclesiarum curatarum Rectores propria auctoritate sibi assumere nequeant Coadjutores ad tempus solum, nisi non pro tota sua vita?

Respond. quilibet non potest propria auctoritate assumere Coadjutorem, imò nec substitutum; cum id soli Episcopo aegrotanti de consensu Capituli ex speciali gratia concedatur. Remouch. *c. 10. n. 4.* Possit tamen ipsomet sibi assumere non tam Coadjutorem quam Vicarium temporalem, id est, pro tempore durantis impedimentis, v. g. morbi curabilis & temporanei, tradit Fagn. *in c. ex parte. de Cler. agror. n. 4. in fine.* ubi: *eo casu (nimirum dum morbus curabilis est & temporalis) ipsomet Praelatus poterit sibi Vicarium temporalem constituere, quidquid incaute in contrarium scripserit Garcias de benef. p. 4. c. 5. n. 4. & in c. consultationibus. tit. eod. n. 12.* citans Hostiens. *in c. Clericos. de off. Vicar.* Quamvis enim auctoritas instituendi Vicarios perpetuos in beneficiis sit penes Episcopos, *c. ex frequentibus. de institut.* ita ut nequidem Vicarius generalis Episcopi sine speciali mandato tales Coadjutores seu Vicarios perpetuos deputare possit; cum ex generali commissione Vicariatus non possit quem privare seu destituere beneficio. Sbroz. *de Vicar. Episc. l. 2. q. 212. n. 1. & ex eo Barbof. Jur. Eccles. l. 3. c. 10. n. 15.* citans Narbonam *de appellat. a Vicar. ad Episcop. p. 1. n. 120.* Ricc. *in pr. p. 4. resolut. 545. &c.* Curati tamen & Vicarii perpetui Vicarios temporales sine licentia Episcopi assumere sibi possunt, modò sicut noti, & de eorum promotione constat, & non obstat statutum synodale; hodie tamen approbati debent ab Ordinario, uti & deputati ab illo in casu *cap. 7. sess. 7. & c. 6. sess. 21.* Tridentini. ita ferè Fagn. *l. cit. n. 13.* sic quoque tradit Tusch. *lit. c. concl. 402. n. 8.* Coadjutores dari posse pro cura animarum, & ista Coadjutoria, quando non est in toto, sed in parte ministerii, est favorabilis, & permessa sine Superioris titulo; secus, si detur in toto & pro tota cura; quia est odiosa & non permessa.